

Approbationes

Theologicæ Ordinis.

I.

Ex commissione A. R. P. Ministri Provincialis legi Conciones in Dominicas totius anni ab A. V. P. Polychronio Blest, Ordin. FF. Minor. Recollect. Concionatore Jubilato, & Almæ Provinciæ nostræ Argentin. Ex-Diffinitore compositas, in quibus contra universalem animarum hostem militanti Ecclesiæ fortissima subministrantur arma, dum ubivis solidissimas, & selectissimas ex S. Scriptura doctrinas ad erudiendum, & efficacissima ad persuadendum argumenta afferunt. Licet ex eis sumere Scutum Fidei, in quo omnia nequissimi tela ignea extinguantur, Dogmata enim Fidei, & Sacras Orthodoxæ Ecclesiæ Sanctiones sanè ubivis tradunt, & explicant. Præbent Galeam salutis, dum contra prædones, eidem insidiantes, spirituali munimine tegunt, & recto trame per aptissima media, salubres instructiones, & directiones ad eandem tam ducunt, quam aberrantes redu-

reducunt. Stringunt fortiter gladium Spiritū, quod
est Verbum DEI, quo omnia peccatorum monstra tru-
cidant, hæresum spectra proscindunt, &, quidquid
distortum est, aut bonis moribus contrarium, viriliter,
& vivaciter rescindunt ; nimirum vivus est sermo
DEI, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.
An aliō igitur, putas, convenientius Auctor eas titu-
lo condecorasset, quam Armaturæ Fortium ? cùm alias
quoque prudentibus viris non placeant phalerata, sed
fortia, ut ait S. Prosper Lib. 3. de Vit. cont. c. ultimo.
Nec tamen inde credas, in Concionibus istis ullibi de-
esse, quæ placere & prodesse possit, diversæ eruditionis
elegantiam. Quin invenies etiam ex SS. Patribus & A-
scetis, Theologia, & Jure alioque ubere doctrinali ap-
paratu abundantiam. Quare illas Luce publica omni-
no dignas censeo ex Conventu nostro Salisburgensi die
20. Martii 1720.

Fr. Marinus Panger,
SS. Theol. Lector Jubilatus,
Provinciæ Diffinitor.

II.

Secundo hoc Sermonum pro singulis totius an-
ni Dominicis paratorum Volumine rursus for-
titer armatus procedit A. V. P. F. Polychro-
nius Blest, Ord. Minor. Recollect. Conciona-
tor Jubilatus, & Almæ Provinciæ nostræ Argentinens.

Ex-

Ex-Diffinito. Illud cùm ex mandato A.R.P. Ministri
Provincialis accuratè, sedulóque per legerem, inveni pe-
rutilem è Sacris pulpitis dicendi, docendíque metho-
dum, ac doctrinam, non Patrum tantummodò Scriptu-
ræque Sacræ sententiis refertam, sed utriusque pariter
Juris Decretis, aliarúmque Disciplinarum subsidio ab-
undè munitam. Nec procedit *armatus* tantùm *forti-*
ter, sed & *disponit omnia suaviter*, fluidâ dicendi co-
piâ non minùs delectans, quam solidô stringentium ar-
gumentorum nervô inflectens legentium animos: Nec
enim sola secantis gladii severitas, verùm etiam, inquit
Veget. L. 2. de re milit. *plurimum terroris hostibus armo-*
rum splendor importat. Huc igitur, quisquis, *ut bonus*
Christi miles, Virtutes seu docere, seu discere; quisquis
dedocere aut dediscere vitia percupis; huc oculos, huc
manus, huc animum. Habes hic *Hominis verè Chri-*
stiani panopliam. Nec ampliori à me perpoliri enco-
mio *hæc Arma* exposcunt: præterquam enim, quòd in
sola virtus sanctùm fæviant, & (quod fori mei est) Fi-
dei, bonisque moribus nihil adversentur, ipsum Opus
Arma Virumque canit. Ita sentio ex Conventu no-
stro Salisburgensi ad D. Virginem assumptam die 26.
Martii 1720.

Fr. Guilielmus Thomaſo, ejusdem
Ordin. & Provinciae, in præfato Conventu
p.t. SS. Theologiæ Lector Ordinarius.

)()()

CEN-